



~~947~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.



A Ω!
ECCUR
PRÆ SE FERAT ALIUD,
ALIUD ANIMO DE-
STINET,
DEUS OPT. MAX.

24

PRÆSIDE
M. MARCO FRONIO,
ANDREAS Neckesſch / Cibiniens. Transylv.
propugnabit

Anno M DC LXXVI. d. III. Februar.

In Auditorio Minori, Hor.
antemerid.



Wittebergæ,
Typis expressit MARTINUS Schulke.

Ill.^{mo} de Muarmhir.

Illme. Domine.




Oportet quidem vel Fronio Tuo tantillum inobedientior existere possem, vel ipse mihi obedientiam suam magis probaret; sed rigida ejus virtus [contumacitatem in tacendo puto] eheu quando eam franget, totoq; mundo fabricatam in se illius homuncionis protervitatem - - -
At meum est, ut lubens sim ingratus. Infelix calame, cui altiùs volare non licet! Tamen secundâ vice tibi dedicare constitui, & ea adscribere, quæ vel maximam partem ex ore ejus hausi, vel eo ductore in autoribus demonstrata mihi fuerunt, cum ille hæc verba ad me diceret: *En speculum; quod caveat Narcissus.* Et cum incusarem tarditatem, respondebat: *Utere tu Pegaso, me fortuna damnavit ad Asinam ad rosas aliquando mittendam.* Tu ipse velim, ut judices, quid ulterius hoc in puncto suscipiendum. Me interim apud eum excusatum habeas, qui per Fronii tui amorem morior.

Ill.^{mæ} T. Dominationis

Servus obstrictissimus

PH. à S. L. P.



(a)  **S**æpè recogitanti mihi hæc at-
què illa in mentem venit, tangeretne
DEUM sublunarium cura, an in certo
casu fluere mortalium. Si enim re-
rum humanarum annales percurre-
rem, si prædictionibus eventus con-
jungerem, si omnium (b) pessimè
etiam cogitatorum exitus cum suis initiis contenderem,
supplex adorabam Numinis majestatem. Simul autem
atq; res meas tanta verti viderem caligine, & quorum mi-
hi sive Deus seu recta ratio, conatusq; improbi, & plurium
exempla spem fecissent, ea me, quasi ex præscripto, fuge-
rent; illa verò sese mihi offerrent ultrò, (c) *qua neq; sperabam,*
nedum à Deo Opt. Max. votis precibusque expetere aude-
bam. Isthæc, inquam, simul ac mecum reputavi, ita me
A 2 sibi

(a) Ex Psal. 73. ad imitationem Claud. L. 1. in Ruf.

(b) Fratres de Josepho, Judæi de Christo cogitabant pessimè; Deo autem dispen-
te cogitata feliciter eveniebant.

(c) Ita B. Lucb. comm. in Eccles. Wo Menschen Weißheit und Gewalt am höchsten
gebet, wo man es mit höchsten Ernst und Fleiß angreiffet, und wo es
scheinet, als könnte es nicht fehlen, und als sey es jetzund getroffen, da ma-
chets GOTT am ersten eilends zu nicht. Item: Es gereth unter 1000. klug-
gen Anschlegen nicht einer, und das Hoffen und Harren macht da grosse
Narren. Rursus: Oftt kommet, daß gute Freunde eine Freude bestellen
mit Musiken und Spielleuten, sie wollen gantz guter ding und frölich seyn,
aber solche vorbedachte und gemachte Kurtzweil gerath selten zu rechter
Frölichkeit, und wird selten eine gute Collation draus: Wiederumb kommet
oftt zufallens, daß Leute mit einander aufs allerfrölichst sind, ob sie ihnen
gleich nichts davon bedacht noch bestellet haben.



sibi rapuit fortunæ opinio, ut vel invitus sequerer (d) Epicuri castra, segnius quidem certè ab iis recederem. Quem ingratum (e) pariter miserumq; animi errorem uti conatus lum ejicere quantocyûs, ita spes longiusculè emissas esse principiò contrahendas existimavi, postea in eam quoque cogitationem mittere animum constitui, quæ sobrio nequè perfunctorio conamine, quantum mortali fas est, *is se misceret* (f) Dei consiliis, quæ summis quibusque viris, prudentiæque humanæ studiosissimis fides in oculis fuere. Quorsum verò conjungendam cum recta ratione historiam existimavi, eamque cum primis, non quæ vel auctoris velificaret ambitioni, vel regum principumque panegyricum caneret, vel in odium gentis esset conscripta; sed quam hinc oriens inde occasus communibus votis vindicet veritati. Caput enim controversiæ est veritas divina, quam, (g) nisi ex indubitato veritatis tripode nefas fuerit accersere. Quod dum ago, immortalem illam æternamq; veritatem

(d) Epicurus unus ille multo post seculis exitit delirus, qui auderet negare id, quod est evidentissimum studio scilicet inveniendi nova, ut nomine suo constitueret philosophiam. Et quia nihil novi potuit reperire, ut tamen dissentire à ceteris videretur, vetera voluit evertere, in quo illum circumlatrantes philosophi omnes coarguerunt: Docebat ille, Deos nihil curare, non irâ, non gratiâ tangi, quia & contemptores eorum sæpè videant beatos, & cultores sæpè miseros. Sustulit igitur omnem religionem, & non manibus quidem, quod fecit Xerxes, sed rationibus Deorum immortalium, templa & aras evertit, quod eos aut otiosos fingeret, aut nullos. Sicuti est apud Laët. div. instit. L. 2. C. 9. L. 3. C. 17. L. 5. C. 10. Cic. L. 1. de nat. & Lucr. L. 2. p. m. 44.

[e] Damnat hic Epicurum, & significat, se ei opponere hanc dissertationem.

(f) Consilia DEI (quod tota dissertatio docet) non intelliguntur, quæ salutem æternam concernunt; sed quæ regimen externum, cujus mirabilis ratio viris cetera maximis offendiculo fuit, qui Epicuri vestigia premebant, quod bonis malè, malis benè esset.

(g) Opponuntur hic sacra litera profanis, & illis adstruitur infallibilitas.

veritatem flexo poplite veneror, auspiciamque ejus sinceris animi suspiriis imploro, ne quid in veritatis majestatem dicam licentius.

II. Summa vero quaestiones expediendae huc redit: Quamobrem agat id Deus aliquando, ut diversum aliquid ab eo intelligatur, quod animo voluit ipse? Universi Lex Deus est: neque licet cuiquam, nisi quod huic libet aliqua ratione: ipsi autem legem ponit nemo. Erubescat subtilis Plinii (h) infania, quae nescio quam mendacii faciendi hesternaeque diei reducendae, imò moriendi patiendique impotentiam spurcissimo ore Deo sanctissimo objectat. Nemo est ita à ratione alienus ut ne scire possit, posse Deum non modò, sed & facere, quaecumque vult. Non dicam impotentissimam esse potentiam, quae impossibilia vult posse; sed id quoque addo; DEUM & contradictoria si potuisset velle, etiam posse potuisse.

III. Voluit sibi nihilo secius liberrimus ille rerum arbiter quaedam non licere, circumscribens velut potentiae suae infinitatem promissis. In quam sententiam distinguunt sollicitae scholae inter potentiam DEI absolutam & ordinariam. Quod non tam ad potentiam DEI referendum est, quam ad voluntatem. Potentia est manetque semper absoluta; sed voluntatem circumscripsit DEUS promissis ita, ut plurima non velit, quae, si vellet, posset utique illimitate.

A 3

mitatè.

(b) Plin. vol. 1. L. 2. c. 7. Imperfecta verò, inquit, in homine natura praecipua solatia, ne Deum quidem posse omnia. Namque nec sibi potest mortem consciscere, si velit: quod homini dedit optimum in tantis vitae penis: nec mortales aeternitate donare, aut revocare defunctos: nec facere, ut, qui vixit, non vixerit: qui honores gessit, non gesserit: nullumque habere, in praeterita jus praeterquam oblivionis. Atque (ut faceret quoque argumentis societas haec cum DEO copuletur) ut bis dena viginti non sint: ac multa similiter efficere non posse.

mitatè. Nequè enim existimandum, esse diversi generis in DEO potentiam. Unus est DEUS, una ejus potentia infinita, illimitataque. Quod verò non mergit universali eluvione orbem, quod Abrahæ filios ex lapidibus non facit, ad voluntatem ejus spectat, non ad potentiam: potest, non vult. Circa quam rem supponimus h. l. non modò posse Deum larvis (i) uti coram hominibus, sed etiam velle, adeoque facere. Quæritur autem de hujus facti causis.

IV. Ex quo manifestum est, non eò impudentiæ progressam esse dissertationem nostram, ut quæreret, (k) Mentiaturnè Deus? Quod de vel disquirere conjunctum cum quadam implicita blasphemandi libidine esse existimo. Occasionem quidem certe non satis piè de Deo cogitandi subministrat. Mala illa & impia consuetudo est contra Deum disputandi, seu ex animo id fiat, seu simulatè. Homini piè de potestate Numinis, & pauca dicenda sunt. Uti sobriè monet, alioqui non satis sobrius Cicero. Sed id disputatur in præsens, quare ita aliquando se DEUS hominibus manifestet seu voce, seu opere, (l) ut homo rectæ rationis dictamen sequutus non possit, non id sibi de horum verborum sententia, vel de fine atq; intentione Dei polliceri, quod Deus facere non intendebat? Ut si quando opinetur homo facere aliquid Deum velle; dum tamen Deus id se non facturum; aut aliquid eum facere nolle, dum

(i) *Quæ hypothesis illustrabitur infra, & est eadem Lutberi, Hunnij, Dannbaweri, Rudrauffii, &c. Larvam verò vocat, quod Hunnius alienam speciem, & Lutb. dixit, sich verstellen.*

[k] *Non absrenatauit mens quasi præfaga futuri, hîc Majestas S. Scriptura iterum adstruitur.*

(l) *Hic loquendi modus familiaris fuit Lutb. min. comm. in Gen. 4. Wenn unser HERR GOTT seine Sachen will hinaus führen, so setz Er es also an, daß die Welt drüber zu Narren wird, und daß manns nicht glauben kann, und weder ICH noch DU also gedencken mægen, daß es solle hinaus geben.*

dum facturum id se Deus decrevit. Tria igitur sunt huius argumenti momenta in antecessum expedienda; Implicetne id Deum facere? Et: faciatne? Denique: quod facit, intendatne? Quibus expeditis de huius rei causis disputabo.

V. Circa quam controversiam multi sunt moralium Doctores de Simulatione & Dissimulatione. Consulto autem ab his mihi vocibus temperavi, quod facilius esse existimarem à terminis impuris se abstinere, quem ab impuritate eos vindicaret. (m)

VI. Quod primum quæstionis caput est, de eo ita existimo, nihil impedire, quò minus id Deus agat aliquando, ut diversum ab eo intelligatur, quod animo volvit. Neq; enim video, quam involvat sua naturâ imperfectionem. In Philosophorum Scholis quidem perorata lis est, pleniq; omnium libelli Ethici. Principio quidem, donec versabatur ob oculos Augustinus in eo opere, quod de mendacio & contra mendacium conscripsit, ita ab omni veritatis veste atque in volucro abhorruì, ut nulla facilè persuaderet ratio, duos esse veritatis actus, veri professionem, prudentemque ejus occultationem. Vicit tandem pertinacem opinionem historia, in concussaque eorum auctoritas, (n) quos imitari quàm examinare satius est, effecitque adeò, ut simulatione insuper atque dissimulatione absolvi occultationem crederem; sed & impetrarem ab animo, utramque eam à vitii suspicione liberaret. Pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, inlantia ejus generis sunt, ex quibus non modò sapissimè, uti docebat Tullius, sed *In Topicis.* etiam ubi non decet, verum auditur. Quod cum aula- rum astutiam non fugiat, desino mirari, quamobrem in
secretos

(m) Superfluum hoc est cavendi studium, cum Theologorum maximi sine tergiversatione his terminis utantur.

(n) S. Biblia vult & Theologos inferius citandos.

Secretorum arbitros juncta diei nox plenis sciatis scyphis-
que pugnet. Habet, quod expugnet. Qui nomen suum
prudentiæ dederunt, pro personarum, rerumque & tem-
poris diversitate vel negant omninò dicturos se, quod po-
stulatur verum, vel aliquam saltem veri partem enunciant,
vel certè narrant aliquid diversum omninò. Etenim quis
tàm fuerit vācors, qui putido illo pudendoq; garrulitatis
jugo oneret tenerrimam veracitatis cervicem? qui postu-
let secreta sua divulgari? qui turpia? qui perniciofa? Et
extremæ profectò stultitiæ stupiditatisq; nomen merebi-
tur, si quis animum in lingua gerat, castissimumquè verita-
tis corpus imprudentium, & iracundorum, ebriorumque,
atque furiosorum, nec non adulatorum & proditorum,
manibus fædissimis porrigat contrectandum. Candaulos
dixeris matrimonii quoque reticenda publicantes, imò
Momi creaturas, non Dei, quippe qui sapientissimo consi-
lio linguam quidem dentium satellitio sepsit, animum verò
intra viscera quoque condidit ac tantum non sepelivit.
Manifestissimo sanè argumento, individuum Veracitatis,
comitem esse Taciturnitatem.

*Just. L. I.
C. 7.*

VII. Sed dissimulationi quidem non est, quod solli-
citus quæram præsidia. Segnior ad ejus portas Hannibal.
Simulationi verò hæret aqua admodum. Cujus tamen
& ipsius dissimulandæ laudes non sunt. Equidem, quod
si ex utilitatis fonte deducere commendationis ejus ri-
vulos, hîc nihil adderem omninò, cum viros sciam maxi-
mos (o) honestatem ejus utilitate metiri. Quam senten-
tiam ego quidem, eorum auctoritate salvâ, existimo virtus
nomine tàm esse indignam; quàm quæ est indignissima.
Brutorum summa lex esse utile. Homo autem major & ad
majora natus, quàm ut si utilitatis mancipium! Et, quod
esse aliud potest avaritiæ, in humanitatis, ipsius denique
impietatis

(o) *Recedit hic à Puf.*



impietatis fundamentum felicius? Itanè non facis alteri,
fieri quod tibi non vis? Siccinè amas Deum plusquàm te-
met? Frustra Decalogum ex naturæ principiis derivari cla-
matur, si honestum est, quod est utile. Id vero (2) optant
isti cum Cicerone, ut ex vita humana sublata sit simulatio
& dissimulatio; sed propter malitiam & vācordiam homi-
num adhuc & simulant & dissimulant, quasi virtutis norma
& principium esset aliorum improbitas! aut cogi ad aliquid
virtus posset! aut ab aliena libidine dependeret! Desinet
vir bonus seipso esse contentus, desinet idem velle idem
nolle, desinet eundem vultum & efferre domo & inferre So-
crates, (3) Coram Deo tamen non valere simulationem au-
tumant, idque ideò, quia decipi Deus non potest. Ergonè
simulationis finis est decipere? Eximiam verò virtutem
laudemque per amplam! Ast (4) coram Judice nihil impe-
dire, quò minus perneget factum suum reus, confingatque
in suam sententiam, quicquid potest. Ita scilicet coram
hominibus pii sumus, parùm de interiore animi teste solli-
citi, ut qui poenas averfamur, non culpam. Quasi Decalo-
gi tabulis magno inscribas caractere illud: PECCA; SED
CLAM. Mi homo, potestatem aliquam esse nisi à DEO exi-
stimas? aut effugisse poenam, judicis ora qui effugit? Ex-
specto quem sint quæsitura huic suæ sententiæ medium ter-
minum, cum libri conscientiarum aperientur. Imò (5) &
advocatum posse docent conscientiam omnibus numeris sal-
vā nocentis causam agere, judicem circumvenire. Ratio
est, quia Judicem decet esse vigilantem. Subtilissimè! Pos-
sum maculare torum, quia te decet esse vigilem: possum
tibi infligere alapam, quia te decet manibus salutem tuam
tueri. Quæ est, si hæc non est perditissima philosophandi
ratio? Mirère nunc atheos, si hæc propugnant Christiani.
Securè verò se tutos existimant, si Ciceronis præsidio, au-
ctoritatemq; muniantur. Profligatissimum illum probitatis
autorem, cui summa pietas erat ambitio, sinè cujus stimulis

ne moturū se pedem pro salute Reipubl. ore plusquam impudico in Senatūs Populiq; Romani conspectu fatebatur. Sed expectent Ciceronis fatum, qui ejus tuentur sententiam. Nondum est tam deplorata rerum divinarum ratio, ut nullas habeat secures Nemesis, acus nullas.

VIII. Circa quam quidem controversiam, quod & magno esse possit prudentis animi argumento, & abjectissimum effoeminatæ pusillaminitatis pravæq; astutiæ asylum, studiosè noto objectum, ut personale, ita reale, medium etiam, atque finem. Neque enim omnium interest, scire, quid animo volvam, neq; eorum etiam qui antè à secretorum indagine non desistunt; quàm putent sese ea investigasse; Quorum certè si non refert scire nostra, interest diversâ opinione imbuantur. Ne quid de hostibus moneam, atque percunctatoribus. Illi jure humanitatis se tantisper exuerunt, fecerantque alteri in se jus saviendi infinitum. In quorum castra & isti haud obscure mihi quidem transire videntur, cum recondita mentis Domino invito cupiant susfurari. Ubi se tamen interponat semper diffusa per omnium Christianorum corda, totius humani generis charitas. Deinde rerum simulando dissimularum haud quaquam eadem est ubique ratio. Quædam omnium cognitioni pari jure exposita sunt, quæ si quis vendicet sibi, iniqui nomen haud facile abs se amolietur. In quibus est vera de DEO opinio, &c. Alia in unius velut privatam possessionem concessere, quæ, quo jure alius secum communicari postulat, eodem jure facit alteri jus se ficto sermone circumvenendi. Cujus generis esse omnia secreta opinor &c. Postmodum id quoque tenendum, verba signaque alia vel esse determinatæ significationis vel indeterminatæ. Ubi determinatorum signorum haud dubie ratio habenda major. Quorsum Conf. Grot. in Luc. 24. Tandem, simulatis verbis signisq; suæ utilitati studere, hominem arguere videtur molli-

molliorem; alii verò intendere periculum, iniquiorem.
Ubi intra justos autumo limites consistere quenquam posse,
si omnia ad Numinis Opt. Max. beneplacitum referat.

IX. Quæ tamen hic diductius tradere nostri non est
instituti, qui de consiliis (p) divinis sumus solliciti, non de
ratione pie prudenterq; simulandi. Quam quidem ma-
gnus ille Grotius simulq; Pufendorf. in operib præclaris *Grot. de*
ex obligatione hominum mutua deducunt, & ex jure, quod *jure P. &*
quis habet alterius sensa interprete lingua cognoscere. *B. Puf. de*
Quo de, si Deus volet, alia occasione ex professo. Nunc id *jure N. &*
ex superiori nota deducere sufficiat, cum aliqua detur simu-
lacio aut dari possit, quæ non sit vitium, ipsam quoquè simu-
lacionis naturam non involvere rationem vitii, alioqui in-
volveretur contradictio. Finge ergò hostem, finge dela-
torem, finge insidiatorem captantem occasionem vel pa-
triam evertendi, vel famam lacerandi, vel fratrem obser-
vandi, postulare abs homine eo, ex quo salus publica depen-
det, secretorum manifestationem, idquevi atquè mortis
comminatione. Quis dissuadeat simulationem? Maximè
quia ea non nocebit exploratori, patriæ verò proderit pluri-
mum, nequè lædet conscientiam Deumque offendet, qui
taliam sæpè & permisit, & imperavit. De quò paulò post.
Certum ergò est simulationem qua talem vitio carere.

X. Quæ cum ita sint, familiarissima fuit semper pru-
dentibus simulatio, usquè adeò ut vel publicas statuas mere-
tur. Omnium ore circumfertur Papius Prætextatus. Hic
neq; dum è puero egressus, percunctanti matri, quidnam
in Senatu patres egissent; cum se nequicquam Taciturni-
tatis lege tueretur, dictum in senatu finxit: utrum videretur
utilius, magisque è republ. esse, unusnè ut duas uxores ha-
beret, an ut una apud duos nupta esset. Quo suo commen-

B 2

10

A. Gell. l. 1.
c. 23.

(p) Circa regimen providentiæ occupatis.



to quanquam loco excivisset lasciviorum illum sexum, tur-
basque dedisset, tamen meruit & dici prætextatus, & inter-
esse puer adhuc num patrum consiliis. S. Athanasii fugam
referamne? & Matthiæ Regis larvas? Imò verò sacris an-
nalibus immorabor, in uberrimam (q) simulationis messem
immissurus falcem. Idque eò faciam audentius, quòd ex
continua sacræ narrationis serie constat aliorum figmenta
non (r) esse notata, quorundam omninò laudibus cumulata.

Gen. 20, 2. Pater ille credentium, conjugem sororis loco venditavit.

26, 7. 27. Cujus vestigia filio unico legeritne quispiam felicius, ambi-

19. 4². 7. go. Ne pos verò ne quid à majorum moribus abiret, patri

sub Esavi fratris persona imponebat. Imò & Pronepos ficto

vultu circumvenit fratres suos toto die. Cum enim sede-

ret ad amplissimum Ægyptiacæ reip. clavum, & peregrinum

se, & iratum, & Ebræorum omninò nescium, & tyrannum

Gen. 31, 35. simulabat. Quod ex matris fortean moribus traxerat, pro-

pinquum partum ad patrem decipiendum confingentis.

Adde mortalium fortissimum, iteratis ille vicibus decipit

Delilam. Adde sapientissimum, dissecturum se infantem.

1. Sam. 19, simulat, cum nihil cogitasset minus. Adde sanctissimum,

13. 1. Reg. quo acceptior Deo fuit nemo; ille & abs Rege se missum

3. 24. fugitivus fingit, & simulavit furias coram Achis, & ipsum

1. Sam. 21, receptus in gratiam nomine reportatæ à Judæis prædæ dece-

2. 13. 27, 10. pit, quam ejus subditis detraxerat.

XI. Et quorum merita in genus humanum, in rem-

publicam, in amicos sunt præclarissima, eorum tantum non

Exod. 1, 19. omnis prudentia simulationis legibus stetit. Judæorum

infantes, quorum vitæ prohibente Rege pepercerant, antè

atos quam obstetricarentur puerperis, confingebant in

Magistratus conspectu Ægyptiæ obstetrices. Neq; segnius

simulat

(q) non in simulatur simulationis sacer cadix, sed multas ibi traditas esse memorie
simulationes.

(r) Exempla afferuntur absq; singillata epicrifi.

simulat discessisse, quos occuluerat Rahab exploratores: *Jos. 2, 5.*
Jael verò Siseram, cum is fugeret, ad se sub amicitiae specie, *Jud. 4, 18.*
vocatam confodit, ut vel hoc nomine ostenderet, malè à
viro dici virtutem. Præclarè etiam subduxerat conjugem,
patris inquisitioni, quem agrum decumbere confingebat
Michol; deprehensa etiam non ad id, quod res erat, confu-
git; sed nova coactionis simulatione factum sibi sumsit ex-
cusandum. Sed ne muliebria mihi facinora objectes? Sin-
cera illa amicitiae imago pessimi parentis filius optimus Jo-
nathan, latentem Davidem esse apud suos fingit. Et quid
Prophetæ? Elifæus ducem se viæ fore pollicitus, deducit in
errorem Syros, Benhadado etiam vitam promisit, non ne-
scius propediem eum moriturum: Sed & Nathan officii
partibus defuncturus, præsidia non aliundè petivit, quàm à
simulatione. Quid referam Thecoiten? quid Husai? quid
Ahimaaz & Jonathanem? Quam plenus (s) est atomis aer
æstivus, tam plenus est sacer codex simulationum.

*1. Sam. 19,
13, 17.*

*1. Sam. 20,
28, 28, 39.
2. Reg. 6,
17, 8, 10.*

*2. Sam. 12,
2. Sam. 14,
5, 15, 34, 17.
20, 18, 19.*

XII. Hæc si nondum asserunt simulandi prudenterque
confingendi laudem, majus illud excellentiusque argumen-
tum est, quàm ut relinquat dubio locum. Quodnam verò?
illud nempe, quod ipsum mihi simulationem probavit juxta
&, quicquid distinctionum congesseram, palearum instar
dissipavit. Scilicet non toleravit modò in suis figmenta
Deus, aus laudavit, sed imperavit quoque, ejusque consilia
impertivit. Dei mandatum erat, Israelitæ tridui festum sibi
in deserto celebrandum confingerent, cum tamen abiturum
molirentur. Ehud excitatus à Spiritu Domini Eglonem
sub Prophetæ nomine transverberavit. Ex Dei consilio
uncturus Davidem Samuel Prophetæ, confingit se venisse
causâ

*Exod. 5, 1.
Judic. 3,
21.*

*1. Sam. 16,
3. Jud. 20,
Jos. 8, 2.*

B 3

(s) Est Conclusio per modum Epiphonematis, in hanc sententiam: *Æq. facile
esset omnia simulationum exempla, quæ in biblicis historiis recensentur,
numerare, quàm numerum atomorum inire, i. e. esse quàm plurima.*



causa sacrificandi. Ne quid dicam de stratagematum consiliis. Plenus diviniore animo Jehu sacra dolo facienda simulans, congregatos Baalis assertores furtivam militum manu opprimit. Filius quoque Dei, ille meus JESUS, dissimulandum si jejunasses, vultumque in laetius fingendum, & caesariem unguento docet esse perfundendam. (t)

XIII. Hac, opinor, ostendunt manifestius, cum neque sit vitium sua natura, aliud praese ferre, aliud intendere: usurpatumque illud a praclarissimis quibusque sit: imo mandatum insuper a DEO, nihil ob stare, quo minus idem facere & Deus ipse possit.

XIV. Altera quaestionis pars factum examinabit. Praese fert Deus utique quod non praesumit, agitque adeo ita, ut diversum ab eo concipiant homines, quod animo voluit. (u) Licet percurrere hic omnem historiam possem, temperabo mihi tamen ita, ut neglectis in praesens profanorum monumentis, quippe non usquequaque semper sinceris, (v) ex sacris annalibus decerpam unum alterumve. Non tamen haec recensebo Abrahamum, cui prolem cum Deus promississet pariter, & decrevisset secundum numerum stellarum
multi-

- (t) Conf. rursus Luth. Hunn. Dannb. Rudr. &c. mox citandi. *Math. 6, 16. seqq.*
- (u) Hanc sententiam totidem serè verbis lego apud Luth. *comm. in Gen. 22.* Wir müssen darvor halten, daß wir vom HERRN also versucht werden, nicht daß ers in der Wahrheit also haben wolte, sondern daß Er versuchen will, ob wir Ihn auch über alle ding lieben &c. Rursus: GOTT stellet sich, als zürne Er mit uns - - -, und ist gewiß, daß GOTT ein anders gedencket, und in der Wahrheit nicht zürnet. Item: Wir können zu GOTT sagen: Du spielest oder schertzeest mit uns, wie ein Vater mit seinem Kindlein schertzet, Du sagest anders, denn du gedenkest. *Et paulò post: Wie gehet aber das zu? Antwort: Mit Spielen, Lachen, und daß Er sich anders stellet, denn Ers in der Wahrheit meynet, das ist warlich ein seliges und lustiges Spiel.* Item: Gott ist damit kein Ernst, das Er uns aufferlich sehen und befinden laisset, Er stellet sich nur also, und ist eine Versuchung, &c.
- (v) Tert. *um praefert profanis historiis sacram.*

multiplicaturum, occlusit Saræ uterum, donec per ætatem
 ea ad generandum esset inepta. Neq; refricabo Moysen,
 quem educendæ ex Ægypto plebi Judaicæ mittens, volebat
 in via Deus interficere. Josepho cum destinaret Ægypti
 purpuram, compedes iniecit & carceris squalorem: Danie-
 lis nomen ubi extollendum decrevisset, damnat eum ad leo-
 nes. Sed illud omni exceptione majus est: Jubet Abrahamū
 Deus, mactaret unigenitum. Mactari autem eum DEUS *Gen. 22, 12*
 nunquam voluerat, neque dum mandando volebat. Patet *Luc. 24, 28*
 ratio, quia mactaturi dextram prohibebat. Eo autem ipso
 consilium non mutavit. Deus etiam in carne, sicubi esset
 opus multa vel dissimulavit vel simulavit. Mariæ hortula-
 ni, discipulis peregrini viatoris specie apparuit, & propè ca-
 stellum, cui Emaus nomen est, animum abeundi præ se tulit;
 quod verò in animo non habebat. Quæ exempla fatentur
 uno ore omnia, ita Deum & locutum esse, & egisse, ut nihil
 minus sibi persuaderent homines, Deum velle, quàm quod
 volebat. (x)

XV.

[x] *Hic M. D. C. uno ferè ab hinc mense, Et quare non adposuisset exemplum.*
Christi cum Syrophœnissa, quæ sivit, ibi enim tam manifestam esse Domini
nostri simulationem, uti est illa Josephi coram patribus suis. Et D. F. ad-
diciebat: Εὐ τὸν ἀ Φέουδ. Jam citabo autores, (1.) Lutherum audie-
vimus Comm. in Genes. 22. [2.] Hunnius Quæst. de Provid. Tribuitur au-
tem, inquit, Deo etiam simulatio. Simulat se hostiliter luctari cum Jacobo
Gen. 32. ita Christus simulat se Chananeam exaudire nolle Matth. 15. &
duob. discipulis apparet in aliena forma. simulans se viatorem, & cum ap-
propinquarent castello Emaunti, simulat se longius ire, unde cœgisse illum.
scribuntur discipuli, ut secum maneret. (3.) Dannbæverus in deuteron. suo
disp. 6. ita de simulatione loquitur, ut eam demum vocet vitiosam, quæ est in-
juriosa. Sicut solum id homicidium vitiosum est, quod injuriosum. Qua-
re solum fallaciam jurium lesivam ait lege Divina prohibitam; exploratori-
am verò, & stratagematicam, rectoriamq; atq; correctoriam vocat adias-
phoram & speciem prudentia non peccaminosam. Ad correctoriam refert
Deut.

Deut. 27, 18. ad rectoriam 1. Sam. 10, 27. ad stratagematicam Jos. 8, 18, 22. 2. Sam. 5, 23. 2. Reg. 6, 19. eamq; in divino annutu dicit fundari. Ubi de exploratoria disserit: Huc, inquit, pertinent omnes illi lusus sapientia in-creata, quib. $\omega\lambda\upsilon\tau\epsilon\gamma\omega\omega\varsigma$ apparuit, lafit & simulavit hostem in conflictu cum Jacobo Gen. 32. militem defensorem cum stribo gladio Jos. 5. in forma servili Phil. 2. hortulani Job. 20. peregrinantis Luc. 24. & angeli in forma juvenis 2. Maccab. 3. 26. Marc. 16. sine dolo malo. (4.) Kit. Rudrauf. in instit. moral. exerc. de Verac. & Urban. p. 319. sequitur Dannhaverum, & post multa alia huc habet: Ita Deus simulavit tentando Abrahamum, ut Abrahamus aliter non putaret, nisi Deum serio expetere realem filij mactationem, qui praeceperat ejus oblationem Gen. 22. simulavit Christus ulterius progredi Luc. 24. sicut $\tau\omicron\ \omega\ \rho\omicron\sigma\ \pi\alpha\iota\epsilon\iota\ \delta\alpha\sigma\epsilon\tau\epsilon$ omnes interpretes, etiam Beza, Tremellius, Erasmus & alij, reddiderunt per simulare. Vid. Etac. in N. T. in-b. l. p. 319. Simulavit Salomon divisionem infantis controversa 1. Reg. 3, 24. Elisa ignorantiam apud Gehazi 2. Reg. 5, 25. Et hodie sapientissime parentes, judices, praeceptores & alij, ad rem incognitam explorandam. (5.) D. Zieglerus Jctus Wittenberg. vir praclarus in not. ad Grot. L. 3. c. 1. habet seqq. Exempla, quae de Deo ipso in contrarium afferuntur, non sunt de reb. fidei, 2. non in statu Confessionis 3. solam suspensionem veritatis ad tempus probant, 4. verum sensum patefaciunt, antequam ulli mortalium ex suspensione damnium acciderit.

XV. Deveniendum nunc tertio ad caput, in hac quidem controversia difficillimum est, in quo clarè ponatur ob oculos, pium illum fidelium (y) errorem, ex Dei verbis factisq; discrepantibus ab ejus mente & decretis, non fortuito occupasse hominum animos; sed ex sapientissimo seriquè Dei consilio atq; voluntate. Voluisse Deum, errarent homines circa voluntatis ejus cognitionem, simul etiam ejus erroris auctorem fuisse, si non aliundè, ex scopo certè & eventu dari poterat comprobatum. Causæ verò meæ non

[y] Error non fidei intelligitur, sed circa verba Dei tentantis occupatus. Qualis error intellectus est, omnis conceptus ab objecto discrepans. Qualis bonus & à Propheta intentus error erat Davidis existimantis Nathanem propriè loqui de agnello, cum de Bathzeba loqueretur.

non ita diffido, ut operæ esse pretium existimem, singula
exempla excutere, cum quod ferè par erit eorum ratio, tum
quod uno probato jam tum stabit fixa radicibus suis nostra
conclusio. Ubi si quis tam rigidus nostri censor fuerit, ut
indignum esse, qui Sacra Bibliorum atria ingrediatur, co-
thurnum Philosophicum putet: sciat ille, æque esse mihi
facile pro Mosis annalibus Livium, pro Josuæ Justinum, pro
Lucae Herodotum usurpare, nisi quod his minus credo, [z]
plus illis. Vides fortean nihil me minus agere, quam Theo-
logorum vineta cedere. Historia certè est, quam ex Mo-
se tracto; non mysterium. Exempli autem eadem est ra-
tio seu à Propheta illud annotetur, seu à Poeta, neq; idè
Bathzebæ adulterium est sanctum, qui à Sancto; aut Lucre-
tiæ castitas profana, quia à profano fuit memoriæ tradita.
Liceat igitur, quod fas est.

XVI. Vexatissimum est illud Salvatoris gloriosi exem- *Luc. 24, 25*
plum, ubi abiturum se simulat. Ad quod scio quid sint vulgò
responsuri, non tulisse eum quicquam præ se; sed abiturum
omninò fuisse, nisi à discipulis revocaretur. Cujus tamen
responsi vim retundit, opinor, ipsa historia. Hoc fine ap-
paruerat, ut eis sese manifestaret. Manifestari autem volu-
it in diversorio. Voluit igitur ingredi diversorium. Sed
mittamus hoc. In assumpta peregrina forma apparuit Co-
mitibus. Quid hoc sibi vult? Nunquid hoc nondum est
præ se ferre aliud, aliud esse? Deindè tenebantur oculi non
cognoscentium eum. A quo? obsecro. Sed manifestum
est, voluisse Jesum iis imponere; [a] voluisse esse ignotum.

C

Nam

[z] *Quartâ jam vice censet sacram historiam profana esse anteferendam.*

(a) *Tò imponere usitatius adhibetur in sequiorem partem, non tamen nunquam
in meliorem. Construitur cum Dativo ellipticè, subaudiendo fraudem.
Fraus verò & dolus, quæ plerumq; equipollent, quoties accipiuntur latè
qu am-*

quamcumq; nomine occultationem veri. Vid. (1.) Hericus L. VI. ab initio.
 (2.) Barb. Advers. L. 12. C. II. (3.) D. Cziegl. not. in Grot. L. 3. C. 1. p.
 517. Quapropter eam pbrafn [4.] usurpavit de suo Milone viro optimo
 Cicero. Et (5.) ipse S. Paulus sese auditorib. suis evangelio imposuisse ait.
 Quod (6.) monebat M. D. G. (7.) h. l. in melius accipi docent seqq. verba:
 Voluisse esse ignotum.

Nam & dum de Christo verba faceret, tanquam de alio lo-
 cutus est, & simul atq; inter frangendum panem agnosceretur,
 disparuit.

XVII. Abrahæ ratio non minùs clara est, & evidens.
 Jussus mactare filium, ex Dei verbis opinatur velle Deum,
 omninò Isaac mactaretur. Quem Patriarchæ errorem,
 uterat pius & invincibilis, ita intentum à Deo esse compro-
 bat mandati istius finis & eventus. Tentabat eum D E U S.
 Qualis tentatio? Excutare ejus animum volebat, essetne
 tantâ fiduciâ roboratus, ut persuaderet sibi, filio unico è vita
 sublatò posse Deum in eodem filio prolem ejus adaugere?
 Finge tu, non persuasisse Abraham sibi, interfectum à se nunc
 iri Isaacum, Deus certè tentandi suo fine excidisset. Quæ
 enim tentatio, imponere lignis filium, gladium evaginare,
 cum scias nihil inde periculi imminere filio? Conternum
 egisset Abraham. (β) Quem cum non egerit, & maxima
 quæq;

(β) Sententiam probat ex Hebr. II, 19. quia resuscitatio ex mortuis presupponit
 mortem. Idem docet Luth. II, cc. GOTT redet hier öffentlich wieder sich
 selbst. Denn wie raumet sich das zusammen, daß Er zu ihm sagt: In Isaac
 sol dir der Saame genennet werden? und: Nimb deinen Sohn, und opffere
 ihn? Porro: Was hat denn der arme Vater für Hoffnung können haben? Er
 hat warlich das nicht verstehen können, daß er allein damit versucht würde,
 und daß Gott solches nicht hatte von Herzen geredt. Iterum: Dann er hat
 also gedacht: Heute hab ich noch meinen Sohn, morgen aber werde ich nicht
 haben, denn Aschen. Wie lange aber dieselbe hin und wieder wird zerstreuet
 liegen, weiß ich nicht, das aber weiß ich, daß sie wiederumb lebendig wird, es
 geschehe

geschehe gleich noch bey meinem Leben, oder über 1000. Jahr nach meinem Todt. Denn das Wort saget, ich werde von diesem Isaac, der zu Aschen werden soll, Saamen haben. Item: Und ist doch das gleichwohl voll Trosts, daß der Text klarlich sagt, daß GOTT solches nur durch eine Versuchung thue. Wo auch Abraham dasselbe gewußt, hatte er desto weniger Sorge gehabt. Nun ist er aber in diesen Gedancken gar ersoffen, daß sein Sohn wahrhaftig müsse geopfert und gewürget werden, es werde die Verheißung erfüllet, wenn und welcher Gestalt sie wolle. &c. &c. &c. Conf. aut. sup. citt.

quæque passus in hac tentatione sit amor patrius, persuasus nunc quidem moriturum filium; sed neque dum dubiam, reddi promissionem de hoc ipso jam jam morituro multiplicando. Posse enim Deum vel mortuum in vitam revocare, quæ sunt ipsa Apostoli verba. Consequitur id Deum præ se tulisse, quod animo nunquam volvebat, & quod ita ab Abrahamo cupiebat intellectum, prout ipse apud animum nunquam vel decrevisset, vel esset decreturus.

Hebr. 11, 19

XVIII. Par huic fuit Mosis tentatio. Jubeat eum educere populum, & interea educturum volebat interficere. Quid? volebat? Nunquam est sibi contrarius: non volebat: sed id agebat, ut Moses opinaretur id eum velle. Hic versabatur tentationis cardo: Deus dixit fore, ut educerem populum: & ecce morior. (γ) In quo emicuit fides Mosis? in eo certè, quod sciret Dei promissa non fallere, & fore, ut ipse revocatus à mortuis Ducis munia nihilo feciùs obiret.

XIX. Sed res est, opinor, expedita. De facto constat omnino, quod erat præsupponendū ex historia. (δ) Nunc in

C 2

CO

(γ) Ita & Luth. Comm. min. in Gen. 4. Mose ist alhier zu Sinn gewesen, als müßte er sterben, und hat gedacht: Wo sind nun die Worte, die GOTT zuvor zu mir geredt hat? Item: GOTT hat mir verheiffen, ich soll sein Volk aus Egypten führen, sterb ich nun, so muß ich doch aus dem Grabe wieder herauss kommen, und doch wieder lebendig werden, denn ehe GOTT liegen solte, so müßten ehe 100. Moses an dieses einigen statt herfür kommen.

(δ) Conf. 2. Cor. 1, 8. 9.



eo occupabitur dissertatio, ut in rei hujus insperatae causas inquirat solentiori curâ. Mandata enim literis est, non ut paria faceret cum fabulis anilibus, (e) essetque nugandi argumentum; sed ut formaret animum, moresque. Quod tûm demum efficiet, ubi in causarum viscera penetraveris, recogitaverisque tecum (I.) interesse hominum magnopere, nescire, quid de se Deus decernat, uti abjecta spe, qua fidem suam pascunt hypocritæ, Deum propter ipsum diligant & venerentur. Quamobrem Deus toto die plerumque divitiis pramittit paupertatem, imperio servitatem, paci bella, proli sterilitatem. Etenim Deum qui amat boni alicujus causa, quod sibi de eo promittit, non tam Deum amare censendus est, quàm ejus illud donum; imò ipsum semet, cui bonum illud cupit acquisitum. Et quotusquisque est, qui gratis probus sit? Vix reperias, qui tot animi, corporiq; & fortunæ illecebris invitati, quod suum est, agant. Ipsum autem Pietatis caput est, sine precio esse pium. Magnificè Plato: si nulli essent, inquebat, Dii, nulla & benefactorum premia, & poenæ vitiorum, nunquam tamen se commissuram adversus jus fasque esse quicquam. Cum autem Deus multa paraverit timentibus se premia, ea que sæpè maxima, ea nescire eos conveniebat, & quicquid aliud prius expectare, quibus destinabantur: ne, quod veræ pietatis ardore, facturi erant, spe corrupti atque imbecillitate negligerent. Multi emerissent, nisi emeruros se sperassent.

XX. Accedit huc (II.) illud, quod, quemcunq; casum invexerit fortuna, ad eum sustinendum parentur animi futurorum ignari. Magna profectò humanæ felicitatis portio est, nescire, quæ nos maneat felicitas, quæ infelicitas. Indurandus est animus crebrâ infelicitatis memoriâ, ut sic ubi ea in aciem procedat, inveniat nos excubantes. Bello enim

[e] Quintò adstruit sacrarum literarum majestatem.

enim quis parabit sese, si certissimā præviderit & incruentā
halcyonia? navem non instruet, qui pedestre iter ingredi-
tur: non vocabit Medicum, sanum qui se esse cognoscit.
Cum verò omne futurum esse Deus voluerit incertum, &
ad deteriora certius, prudenter admodūm facere censen-
dus est, si fortunæ severioris vultum nobis ostendat, quam
scit neque esse venturam, neque à se destinatam: ne interea
otiemur. Sic præviam præ definitamque miseriam dum
celat, aliqua benignioris fortunæ imagine oblectans morta-
les, eorum imbecillitati consulit, quæ tanta est, ut, si immi-
nentis miserix calamitatem videret, ad tristem ejus conspe-
ctum prolaberetur, conficeret sese, desperaret.

XXI. Sed & (III.) ad sui cognitionem, Virtutisque suæ
& Pietatis nihil æque efficax est, ac præmeditata, sperataque
fortunæ crudelitas. Amemne Deum, & amemne propter
ipsum, donec ex voto fluunt omnia, nescio. Si quæ se verò
inopiæ, & calumniæ, si vexationis cruciatuumvè & vinculo-
rum atque diræ mortis suspicio prodat, intueor me velut
coram. Unde hypocryseos nervi atque artus inciduntur.
Ad licitorum, cruciumque & rogorum conspectuum muta-
runt lententias plurimi, qui donec fortuna rideret, ne Mar-
pesiæ quidem cauti se cessuros persvadebantur.

XXII. Unde (IV.) Consequitur & illud, ad sinceram
animi pacem apprimè necessarium: Ea lege nos natos esse,
ut omnibus fortunæ rebus exponeretur vita nostra, non re-
cogitaremus vel certè & rarius & segnius, nisi aliquando
prodiret in Scenam iratior fortuna, &, si non conserit ma-
nus cominūs, saltem eminūs ostenderet, quantum ei datum
in nos juris esset. Deus autem si meliora reservavit, o-
stendit acerbiora, ut dum præmeditata ea non eveniunt.

Sciamus non humanis consiliis stare felicitatem humanam; sed id Dei munus esse: Et potuisse nos affici malis, nisi misericors summi Parentis Providentia pepercisset.

XXIII. Quibus (V.) adde, quod inopina felicitas semper sit gratior: quæ diu expectantur, expectando velut exolescunt; si quæ præter spem eveniunt, penetrant magis. Nunquam ita gaudebit, qui dormivit sub tecto, atquæ qui salutem suam super fractis tabulatis è naufragio subduxit. Magis exultabit liberatus è vinculis, quàm qui vincula nunquam sensit. Lætorem dimittit valetudo, quàm acceperat.

XXIV. Deniquè (VI.) multis ex ruina nobiliores adificat casus fortuna. Non pauci ceciderunt, ut in altius surgerent atquæ majus. Actus in exilium Themistocles, cum antea inops, nunc à Perse civitatem accepisset: Perieramus, in quiebat filio, perieramus filii, nisi periissemus. Josephum carceris occasio æquavit Pharaoni: Danielis nomen Leones amplificarunt. Sadrach, Mesach & Abednego nisi per flammam, nunquam eum honoris verticem conscendissent. Taceo Cyrum, taceo Bellerophontem.


XXV. Illud verò (VII.) tacendum argumentum non est, aliorum quoque interesse quam maximè, proborum, juxta improborumque, ut isti vexentur. Vult eis Deus palmam fieri constantes tentatorum conatus, ex quo sumant sibi exemplum, discantquæ simul, ex malis liberare Deum posse omnibus; & si maximè non liberet, debere hominem ei fide inviolabili adhærere. Ex quo capite & Præceptores & Parentes suos examinant, nunc sermonem, nunc vultum simulationis fuco obtegentes. Quod Theologi vocant fidei experimentum.

XXVI.

XXVI. Sed abrumpo, ne immiffa falcis deferar. Ge-
nus irritabile vatum. Unum id postulare mihi jure posse
videor, id agant, quoscunque judicandi libido tenet, ut
meminerint, properata non esse absoluta. Ille, ille meus,
ille omnium Pater, neque usus meo consilio, neque arbitrii
alieni tenax, involvat fuscâ caligine omne futurum, efficiet
fortè, ut eveniant insperata; ut inexpectata, vix unquam.


Quæ tamen si non prævideo, omnia certè
admirabor. (z.)

(z) Hic mi Marce, quod involutum fuscâ caligine futurum, etiam insper in-
raturum quasi prævidisti, te admiror; Te verò immiffa falcis defero, Friderice,
& voco in conspectum coram illo omnium, coram Marci mei Patre, qui & ipsum
charissimum noscit, & vidit tuam irritabilem judicanti libidinem, & eam
judicavit.



XXVI. Sed primum, maxime scilicet debet. Quod
narrabile videtur. Quamvis possit non sine
videtur, id agere, ad hoc quod iudicandi libido tenet, ut
enimvero propter non esse solent. Ille, ille enim
hic omnia sunt, necesse est meo sensu, necesse est
alio tenet, necesse est iudicandi libido tenet, et
sunt, in eorum iudicandi, ut iudicandi, ut iudicandi.
Que tanta non parva, omnia tenet
(Sed debet.)

¶ Et si forte, quod iudicandi libido tenet, et
non parva, necesse est iudicandi libido tenet,
et non parva, necesse est iudicandi libido tenet,
et non parva, necesse est iudicandi libido tenet.



Ung. VI 59

ULB Halle 3
004 186 672




f
56,

VD 17.

Jun. 2000 M,







A Ω!
ECCUR
PRÆ SE FERAT ALIUD,
ALIUD ANIMO DE-
STINET,
DEUS OPT. MAX.
PRÆSIDE
M. MARCO FRONIO,
ANDREAS Nedesch/Cibiniens. Transylv.
propugnabit
Anno M DC LXXVI. d. III. Februar.
In Auditorio Minori, Hor.
antemerid.

24



Witteberge,
Typis expressit MARTINUS Schulke.

